Sapientissimo Viro
Ovidio Montalbano
Athanasius Kircherus
S. P. D.

297

Quoties tuarum dignitatem lucubrationum, eruditionisque ubertatem altius expendo, toties illud Platonicum, μηδὲν θαυμασιώτερον, ἢ πάντα εἰδέναι, in te verificatum agnoscere cogor. Scripta tua, quibus orbi clares, aliud non sunt, quam Nectar Apollineum, quo divino imbutus munere lucis regionem aditi παντομαθείαν consecutus. quod et praestantissimum Dendrologiae tuae opus cuius specimen ἀνακεφαλαιωτικὸν non ita pridem ad me transmittere non es dedignatus, luculenter veluti ex ungue Leonem demonstrat. quanta in eo passim obviat omnigenae eruditionis ubertas! quanta thematum reconditioris doctrinae opulentia! quanta in secretis occultioris Naturae arcanis varietas. in quo humaniores disciplinas cum historiis, cum Ethicis physicas, theologicas cum politicis, ita dulciter misces, ut singula cum omnibus, te paranympho absolutum ἐγκυκλοπαιδείας constituere coniugium immen^ constituisse videantur. Verum ubi magnarum rerum spes dilata animam affligit, ita complures quoque dolent. quod in tantopere expetiti operis evulgandi prolongatione, curiosorum sitim tantum abest, ut sedes, ut potius eandem quotidie magis magisque accendas. Quare te quibus possum precibus obtestor, ut si quid mea apud te possit authoritas, si quid ^passim initae nos inter literariae necessitudinis gratia, et amicitiae robur; raras illas thesauri literarii merces, ex tenebris quas hucusque delituerunt in publicam lucem educas quantocius prelo submittas. nosti quam id humanissimis ad te datis epistolis, ardenter, quam instanti sollicitatione a te extorquere contenderint, Romae, eximii Botanicae philosophiae cultores, Ill.mus Comes Marsicanus, Venerabilis P. Barilerius, Corvinus et Magninus viri tum universae Naturae, tum potissimum phytosophiae studii consultissimi. Hoc itaque si feceris, merito tibi cuncti ob in tua praeclari operis editione praestitam operam, illud Virgilianum accinere poterunt. Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt. Vale vir πολύβοστε, Felsinae decus et gloria.

^ in capacissima mentis tuae palaestra

Romae 3 Junij 1665.